



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia Catholica, Hoc Est Christianae Fidei, Qvam Ad  
Salvtem Animarvm Aviti Avgvstae Domvs Saxonicae  
Principes, Reges, & Imperatores coluerunt, Gloriosa  
Confessio**

**Cutsemius, Petrus**

**Coloniae Agrippinae, 1621**

De Ernesto Archiepiscopo Magdebvrg.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11884**

---

**DE ALBERTO ARCHIEPISCOPO, PRINC. ELECT. MOG.**

**R**ELIQUI verò fratres eius Albertus Archiepiscopus Moguntinus, Princeps Elector; itemque Ernestus, Archiepiscopus Magdeburgicus, & Præsul Halberstadiensis, sanctam & Catholicam Religionem ad finem vite usque professi, deprauata ista tempora non attigerunt, & sic per misericordiam Dei cum pijsimis Maioribus suis in sancta fide Catholica diem extremum clausurunt.

---

**DE ERNESTO ARCHIEPISCOPO MAGDEBURG.**

**E**T vt hoc, Serenissime Princeps, addam; notandum benè, quod de Ernesto, cuius consilio Fridericus frater Academiam VVittebergensem erexit, in opere suo Genealogico memorie reliquerunt Hieronymus Henninges, Pastor Lunenburgensis, & Elias Reufnerus, Historiarum Professor in Academia Ienensi Thuringie. *Decessit, inquit, in vera agnitione Christi Mediatoris 3. Non. Sext. An. 1513.*

Quo inquam anno, nulla fuit in Saxonia, imò tota Germania &c. Christi agnitio alia, quam quæ vera est, Catholica scilicet, Apostolica scil. Romana scil. in qua ipse, & omnes om-

N

nino

ninò maiores eius discesserunt, in qua vt omnes omninò posteri quoque ad æternam animarum suarum salutem hinc discedant, ex toto corde precor, & exopto.

DE ALBERTO ANIMOSO, ET  
FILIIS EIUS.

**T**RANSILIO nunc ad alterum Friderici II. filium, Albertum, tuum, Serenissime Princeps, Abauum, qui ab inuicti animi robore, & rerum, quas pro dignitate Imperij, Patriæq; & suorum prosperitate gessit magnitudine, *Animosus*, ab Innocétio IIX. Pótifice Romano *Dextra manus Imperij*, & à milite Belgico *Rolandus* est cognominatus. Et quidè in titulo à Pontifice attributo multū sibi frater defunctus Christianus II. cōplacuit, quo etiā honorificè hunc suū Progenitorem in deductione iuris Saxonici, quoad circuli VVestphalici Prouincias Rhenanas Patriæ meæ nominauit, & citauit. Et verè in eo gloriari potuit. Suâ enim ille manu diuersos contra Imperatorem, & Imperium quod tunc temporis valdè periclitabatur, insurgentes hostes fortissimè deuicit; Gallos Belgio exturbauit; Belgium ipsum in periculofissimo rerum statu ex difficillimis bellis ciuilibus explicuit, & pacauit; infrenem Frisiam sub Imperij habenas reduxit; Matthiam Regem Hungariæ in Austria aliquot prælijs contudit, &  
ad pa-